



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

evenisse detectus fuit; ut constat ex scripto, quod Dominus Ioannes Steyvarts dicti testatoris ex parte hares, & ejusdem Pædagogij Regens Magnifico Domino Rectori exhibuit: ob quem casum etiam Facultas Artium induci non potuit, ut pateretur Pædagogium gravari onere harum Bursarum, quas hic testator suo testamento constituit voluit. ⁶ Iam verò in iure receptum est, ut cum conditio vel modus legato adscriptus in piam causam, per supervenientem casum sine facto legatarij, impleri non potest; tunc ob deficientem conditionem vel modum, seu illius implementum, non deficiat, sed nihilominus debeat legatum, *l. Libertate De manumiss. testamento, riraq. de pia causa cap. 57.* Piam autem causam adscribendum esse, quod Pædagogio in eleemosynam, & propter Deum pro exoneratione conscientie relinquitur, dubium non est, *Tiraquel. de pia causa in præfat. præsertim* quia dictum Pædagogium sit tenuiter fundatum, & institutum sub onere alendis & docendis aliquot pauperibus Bursarijs.

Deinde quod testatoris intentio nullo modo fuerit adiuvendi, aut revocandi dicti pomarij legatum, eidem Pædagogio adscriptum, inde etiam deprehenditur, quod testator in ademptione dicti oneris, & repetitione legata pecuniæ, in eventum prædicti casus seu impotentie, aut impossibilitatis ferendi huius novi oneris duarum Bursarum, fixis & stabilibus bonis ejusdem Pædagogij adnumeraverit dictum magnum pomarium, paulò antè eidem Pædagogio legatum: quasi id in omnem eventum voluerit esse dicti Pædagogij, etiam si hoc novum onus harum Bursarum non sustineretur. Ita ut quoquo res trahatur, nulla sit æquitas, ob quam hæredes dicti M. Ioannis Steyvarts dictum magnum pomarium ab hoc Pædagogio avocare possint; quod nec ipse M. Ioannes umquam tentavit; nec in animo se habuisse, aut sic intellexisse, umquam significavit.

⁷ At nec ipsi hæredes id hætenus umquam præstulerunt; sed instituto adversus Regentem dicti Pædogij iudicio rei vindicationis, dictum pomarium coram Magistratu Lovaniensi sibi restitui petierunt, ex ea causa, quasi nulliter Pædagogio legatum esset; propter constitutionem Caroli Quinti, de non relinquendis manui mortuæ bonis immobilibus: in qua lite dictus Regens seu Pædagogium obtinuit absolutoriam sententiam; quæ dictis hæredibus ad idem pomarium agere iterum volentibus, ob stare debet, etiam si nunc peteretur ex alia causa. Exceptio enim rei iudicata, ex sententia lata in iudicio rei vindicationis, iterum eandem rem adversus eundem vindicare volenti, perpetuò obstat; etiam si ex alia causa, quam in priore iudicio expressa fuit, vindicare vellet: quia agens rei vindicatione censetur in iudicium deduxisse omne jus, quod quoquo modo ad rem prætendere potuit, *l. Et an eadem §. actiones De except. rei iud.*

⁸ Et ut ex alia causa iterum hoc pomarium vindicari posset; vindicantibus tamen dictis hæredibus, obstat exceptio præscriptionis, quod plures quam triginta, imò ferè quadraginta anni lapsi sint à morte præfati testatoris, quibus dictum Pædagogium hoc pomarium ex iusto titulo lega-

ti, bonâ fide continuè sine ulla naturali vel civili interruptione possedit; & sic exceptione adversus agentes securissimum, *l. Sicut cum alijs seqq. c. De præscript. 30. vel 40. annor. §.* Et quamvis per litem institutam interruptatur præscriptio, *d. l. Sicut §. l. Cum notissimi c. eod. tit. & actio ad quadraginta annos perpetuetur*; huiusmodi tamen interruptionis effectus restringitur ad eandem rem, causam, & easdem personas; ita ut si unum ex his tribus deficiat, nullus sit effectus huius interruptionis; ideoque interruptio per litem ex certa causa institutam, nihil operatur quoad aliam litem ex alia causa, etiam de eadem re, & inter easdem personas instituendam, *Bartol. in l. Fijum De iure fisci*; potissimum quando possessor in priore iudicio ab imperitione Actoris absolutus est: quia absolutio argumentum est continuæ bonæ fidei, *Bart. in d. l. Fijus*. Cum igitur Pædagogium, seu illius Regens semel adversus dictos hæredes absolutio à petitione huius pomarij obtinuerit; effectum rei iudicatæ irretractabilem obtinere debet, minimeque pati repetitæ seu alterius executionis insultum. Atque ita existimamus jus dicti Pædogij firmum & stabile esse; nec ullam esse causam, cur formidine litis vel possessio pomarij relaxetur, vel hæredibus transactionis causa aliquid præstari debeat.

De Testamentis.

SUMMARIUM.

Executor testamenti unus ex pluribus.

1. Desertio appellationis unius ex pluribus facit sententiam transire quoad se in rem iudicatam.
2. Appellatio unius consortium quamdiu pro sit alijs.
3. Appellanti pluribus an unus illorum possit transigere.
4. Appellanti pluribus unus transactio non officiat alijs.
5. Sententia contra mortuum lata, non semper nulla.
6. Procurator mortuo domino an litem prosequi possit.
7. Executio testamenti pro parte tamen accipiari non potest.
8. Executio testamenti officium individuum.
9. Protestatio resolvitur contrario sequente alia.
10. Sententia de condemnando vel absolvendo non est condemnatio vel absolutio.
11. Executor testamenti, tutor, curator, quando patitur executionem sententia in causa executionis pupilli vel minoris lata.
12. Intellectus c. Ex parte 2. De appellat.
13. Executor testamenti, tutor, curator, quando cogatur etiam finito officio causæ adesse.
14. Executio testamenti quo modo ad hæredem transgatur.
15. Executor uno mortuo quando eius hæres possit exequi.
16. Executor testamenti quo differat à tutore.
18. Cedi potest ius executivum.
19. Cessio actionis tempore solutionis fieri potest.

CONSILIUM CCCCXXIV.

AD apertiore demonstrationem, quod petitio proposita pro parte Eximij Viri ac Domini Magistri Michaëlis du Bay, huius causæ Actoris, contra M. Ioannem Eersiel, & M. Rodolphum Martini Reos, bono iure nitatur,

tator, hoc primum discutiendum; An si omnia adhuc integra essent, hoc est, si inter dictum Actorem, & Antonium Amory, ejusque litis consortes, nulla transactio, & ex ea cessio actionum ac iurium, dictis consortibus competentium ex testamento & occasione testamenti quondam Domini Adriani Amerotij, adversus ejusdem testamenti Executores (quorum unus est dictus Actor) facta esset; idem consortes viâ executivâ procedere possint, adversus dictos hujus causæ Reos, ex sententijs, quæ in prima instantia per Magnificum Dominum Rectorem; & in secunda per Venerabiles Dominos quinque Iudices Appellationum, contra dictos Executores latae sunt. Eo enim constituto, facilius erit progressus ad eam questionem, num idem quoque nunc facere possit praefatus Actor?

Et sanè ex actis causæ inter dictos Antonium ejusque consortes ac praefatos Executores constat, non solum praefatum Actorem, sed cum eo quoque Dominum ac Magistrum Thomam Gozæum conventos, & unâ sententia condemnatos, & utriusque nomine ab ea appellatum fuisse, & pendente appellationis causâ Domino Thoma Gozæo mortuo, causam appellationis per Thomam de Monte, & Rodolphum Martini Executores testamenti, & apprehensores bonorum dicti Domini Thomæ resumptam, atque ad conclusionem usque perductam esse; & appellatione per dictos quinque Iudices injustâ declaratâ, tam praefatum Actorem, quàm dictos Thomam, & Rodolphum in expensis esse condemnatos; & per communem eorum Procuratorem, appellatione ab hac secunda sententia ad Sedem Apostolicam interpositâ, illius prosecutionem solum hujus causæ Actorem fecisse; non usque ad tertiam sententiam, sed usque ad illius delegationem, & coram Iudice delegato introductionem; postquam idem Actor ab appellationis prosecutione destitit; ideoque dicta Domini Rectoris sententia in rem judicatam transiit; cum de dictorum Reorum appellationis prosecutione non constet, & introducendæ ac proseguendæ appellationis tempora ac fatalia irreparabiliter jam diu transierint; cum sententia dictorum quinque Iudicum lata sit vicesima secunda Decembris anno 1572. post quem tanti temporis, amplius quàm sex annorum, ante institutam hanc litem lapsus, ne quidem restitutionis beneficio dictis Reis succurri posset, *l. ult. §. illud de tempor. appell.* Cum igitur sic rem judicatam praefati Antonius & ejus consortes obtinuerint, perinde adversus dictos M. Rodolphum, & praefatū M. Thomam de Monte (quem praefatus M. Ioannes Berssel, ex capite suæ uxoris filie & hæredis dicti Thomæ de Monte representat) ut adversus hujus causæ Actorem; dubium non est, quin bono quoque jure adversus ipsos ad executionem dictarum sententiarum procedere possent, si jus suum non vendidissent seu cessissent praefato Actori.

Quâ in parte Rei se adversus illos tueri non possent, sub prætextu communis appellationis, per communem Procuratorem à sententia dictorum quinque Iudicum interpositæ; quia omiſſa illius debito tempore prosecutio eo loco illos constituit, quasi nomine illorum appellatum non fu-

isset, *d. §. illud*; aut saltem appellationi interpositæ renuntiatum esset, *c. Directa, c. Ad aures de appellat.* unde constituitur transitus sententiæ in rem judicatam, etiam absque alia Iudicis pronuntiatione, *l. Furti in fine de his qui notantur inf. Bald. in l. 2. nu. 5. c. Vt lite pendente.*

Verum quidem est, prosecutionem Actoris, etiam si nec illi, nec Procurator eorum nomine appellasset, illis profuisse; propter eandem & communem defensionis causam, in re præsertim individua, *l. i. c. Si unus ex plurib. l. Si qui separatim §. quod rescriptum de appellat.* sed quoniam & ille appellationis causam, paciscendo cum adversarijs, deseruit, & in effectu illi renuntiavit; non possunt defensionis præsidium ex appellatione Domini Actoris hujus causæ, Rei desumere. Neque enim prohibetur consors litis, qui ex pluribus condemnatis solus appellavit, causam appellationis, vel negligentia prosecutionis per lapsum fatalium, vel renuntiatione expressa deserere, propter suos consortes, etiam si illi unâ appellaverint, & causam appellationis aliquod usque prosecuti fuerint; si modò ad finem usque intra tempora legitima non sint prosecuti. Et quamvis Speculator dubitare videatur, in tit. de appellat. §. i. vers. Sed quid si ille qui appellavit nu. xi. an uno solo ex consortibus appellante, ceteris non appellantibus, is qui solus appellavit, cum adversario componere seu transigere, aut saltem componendo transigendo consortibus præjudicare possit? & transigere quidem seu componere, imò renuntiare posse etiam invitis consortibus satis admittat; quasi non minus ei permissum sit, beneficio interpositæ appellationis renuntiare, quam illis eo ab initio non uti, *l. si Index de minorib. l. Ab hærede de separat. ** non obesse tamen consortibus hanc compositionem, transactionem, seu renuntiationem, quin beneficium appellationis per unius consortis appellationem semel acquisitum retinere & persequi possint; ut est in scripto hærede victo appellante, & post appellationem transigente; quâ transactione non obstante, legatarij & fideicommissarij appellationem nihilominus persequi possunt, *l. A sententia §. Si hæres de appellat.* id tamen ad defensionem Reorum huc applicari non potest; ideo quod Speculator loquatur de ea appellationis causâ, quæ adhuc stat & perdurat; non de eâ, quæ planè deserta est, & ubi appellationum fatalia tempora omnino irreparabiliter lapsa sunt. Ut enim propter illa lapsa, etiam is, qui ipse solus appellavit, causâ caderet & amplius audiri non deberet, *c. Cum sit Romana de appellat.* ita multo minus audiendus est, qui ipse non appellavit, sed appellationis beneficium seu commodum captat ex alterius appellatione. Cum igitur evidentissimum sit, hujus appellationis tempora fatalia, per lapsum sexennij, & amplius omnimodò consumpta esse, non est, unde ex appellatione Domini Actoris à sententia Dominorum Iudicum, effectum suspensivum dictarum duarum sententiarum Rei hic constituere possint; quos ne nunc quidem constet aliquam prosecutionis dictæ appellationis diligentiam fecisse: ita ut adversus eos rectè constitui possit rei judicatz, & illius executionis effectus.

Quem

5 Quem effectum M. Ioannes Eersel non recte à se avertere conatur ex eo, quod sententia quinque Iudicum Appellationum sit lata, præfato Thomæ de Monte suo auctore mortuo; idem quod sententia contra mortuum lata sit ipso iure nulla, l. Paulus 1. Quæ sententia sine appell. resc. nec perstringat mortuum condemnatum; multo minus ejus hæredes, quos non constat ad audiendam hujusmodi sententiam vocatos fuisse. Nam absolute verum non est, semper nullam esse sententiam, quæ adversus mortuum fertur: nam si qui litem per se vel procuratorem agit vel defendit, post litem contestatam moritur; si iudex ejus mortem ignoravit, valet etiam adversus eum mortuum lata sententia: ut valet, quæ contra febricitantem seu fontico morbo laborantem, quem iudex sic laborare ignoravit, lata sententia; non valitura, si hujusmodi morbi notitiam habuisset, l. Quæstum De re iudic. Ripa in tract. de peste sit. de privileg. iud. nu. 29. Quæ notitia in dubio non præsumitur, sed potius mortis ignorantia, l. Verius De probat. præsertim cum ex actis non constet, Iudicem scivisse mortem litigatoris, contra quem iudicavit; idque etiam si non tantum pars ipsa, sed etiam ejus Procurator mortui sint tempore latæ sententiæ: ut eleganter annotavit Guido Papæ, decis. 66. & respondit Angelus Perusinus, cons. 223. pro decisione nu. 2. Cum ergo ex actis hujus causæ non constet, Dominos Iudices scivisse mortem dicti Thomæ de Monte; non potest illorum sententia nullitatis argui, quod eo mortuo sit lata, etiam in personam ipsius, nomine illius etiam in ea expresso. Ita ut satis sit, quod Thomas de Monte, mortuo Thoma Gozæo, tamquam testamenti illius executor, unâ cum præfato M. Rodolpho, onus executionis assumpserit, ac bona illius apprehenderit; & apprehensione factâ, huic liti in causa appellationis pendenti se immiscuerit; & Procuratorem eundem, ad appellationis hujus prosecutionem constituerit, cum ratificatione prius actorum: præsertim quod in hac appellationis causa, vivente eodem Thoma de Monte, in causa conclusum fuerit secunda mensis Maij anno 1552. tribus mensibus ante illius mortem; ut acta illius causæ demonstrant: quæ conclusio in causa Iudicis potestatem ampliat; ut etiam sciens mortem defuncti possit contra illum mortuum, sententiam certis casibus ferre, l. ult. C. si reus vel accusat. mort. fuerit, l. 3. C. si penden. appellat. Bald. in l. 1. nu. 3. vers. sed hic dubitatur C. ex delict. defuncti. Quæ sententia mortis, si in dictis Iudicibus constitui potuisset, & vivo Thoma in causa conclusum non fuisset, nihilo magis nulla esset dicta sententia; idem quod sit lata præsentem communi Procuratore dicti Thomæ, & ejus consortium; qui Procurator in causa litem contestatus, litisque dominus effectus fuit. Quam litem contestationem dictus Thomas litem resumendo, & procuratorem, cum clausulis ratihabitionis, ad eandem litem constituyendo, ratam habuit, & illius effectum sibi superinduxit. * Quæ procuratoris, domini litis effecti, præsentia, hoc efficit, ut non possit propter mortem dicti Thomæ constitui vitium nullitatis in sententia. Apertè enim rescriptum est, in l. Nulla

C. De procurat. & ibi Bald. & alij, etiam post excessum seu mortem ejus, qui mandatum ad litem agendam vel defendendam dedit, procuratorem posse inchoatam causam finire. Cum ergo finis litis sit, & liti finem imponat sententia ex pronuntiatione Iudicis, l. 1. De re iudic. sequitur, præsentem procuratorem sententiam utiliter ferri posse: non obstante morte mandantis; per quam mortem non censetur ejus mandatum revocatum, à l. Nulla, Cuiac. Obser. lib. 2. cap. 3.

Quod hujus causæ Rei satis animadvertentes, & reformidantes, ad beneficium stili & consuetudinis confugientes, proposuerunt, quod de stilo & consuetudine Oppidi Lovanicensis, tam in Curia spiritali, quàm seculari, procuratorium ad lites morte constitutis indistinctè expiret; sive ante, sive post litem contestatam moriatur. Sed inefficax est illa allegatio consuetudinis, propter negationem Actoris, & defectum probationis illius. Neque enim stilius aut consuetudo, cum in facto consistant, præsumuntur, sed probari debent, l. 1. De consuet. lib. 6. præsertim cum juri communi repugnant. Atque ita multis modis sustinetur dicta sententiæ utilitas; non tantum adversus hujus causæ Actorem, & præfatum Rodolphum; verum etiam adversus Thomæ de Monte hæredes: quos propter prædicta nihil erat necesse citare ad resumptionem illius causæ. Ideoq; nihil movere debet, quod pro parte dicti M. Ioannis Eersel obijciatur, de defectu citationis ad hujusmodi resumptionem. Sed etsi dici posset, quod propter mortem dicti Thomæ, sententia quoad ejus hæredes foret nulla, nihilo meliore loco esset dictus M. Ioannes Eersel; eo quod constitutâ nullitate sententiæ quinque Iudicum, semper maneat utilis & efficax sententia prima per Magnificum Dominum Rectorem lata: cujus effectum si præfatus M. Ioannes ex capite suæ uxoris impedire voluisset, hoc procurare & efficere debebat, ut durantibus temporibus fatalium appellationis à dictâ Domini Rectoris sententiâ interpositæ, per utilem eorundem Dominorum Iudicum, vel alterius superioris aliquam sententiam, eadem Domini Rectoris sententia infirmaretur seu retractaretur, l. si ut proponis, l. si præses C. Quomodo & quando iud. sent. prof. deb. Quod cum non fecerit, & nunc post tantum temporis lapsum facere non possit; eadem Domini Rectoris sententia indubitatè transivit in rem judicatâ, etiam adversus dicti Thomæ hæredem; ex quo idem Thomas causam appellationis à sententia Rectoris resumpsit, & procuratorem ad illam constituit, cum ratihabitione prius actorum. Itaque consideratio mortis præfati Thomæ de Monte, nihil in proposito facit ad supersurgendum effectum rei judicatæ.

Vt etiam non facit, quod conjunctim Rodolphus & M. Ioannes Eersel obijciunt, quod ad eos referri non possit executio rei judicatæ ex dictis duabus sententijs; idem quod in acceptione executionis testamenti D. Thomæ Gozæi, præfatus Thomas de Monte, & Rodolphus apertè protestati sint, quod nollent acceptare onus executionis testamenti D. Adriani Amerotij, nec causas aliquas eo nomine coram aliquo Iudice resumere.

Nam

Nam huiusmodi protestatio nullius momenti est; propterea quod executio testamenti pro parte assumi, pro parte reiici non possit. Vt nec testamentum pro parte per unum eundemque approbati, & pro parte reprobari potest, l. 1. & 2. De acq. hered. l. Quidam c. De iure delibet.

8 Ex eo potissimum, quod executio in facto consistat, atque ita individua sit, l. 4. §. Cato De verb. oblig. licet administratio executionis, vel ex dispositione testatoris, vel ex conventionione Executorum, vel ex Iudicis decreto, inter ipsos Executores dividi possit; obligatione executionis semper in solidum diffusam per singulos Executores. Vt & tutela seu ius tutelæ individuum est, l. 3. §. fin. cum l. seq. l. Inter tutores De administ. tut. l. 1. & seq. C. De divid. tutel. licet eodem modo administratio inter plures tutores dividi possit. Satis igitur est in proposito, quod Rodolphus & Thomas se executioni immiscuerint; & sic se obligaverint ad omnia agenda, quæ executioni incumbunt: inter quæ vel præcipuum est, ut lites quæ inferuntur suscipiantur & defendantur. Vt & tutoris præcipuum officium est, ne pupillum indefensum relinquat, l. Tutoris præcipuum De administ. tutor.

Sed hic subistendum non est; ex eo, quod iidem Rodolphus & Thomas de Monte, non obstante huiusmodi protestatione, ad instantiam, non præfati D. Michaelis, sed Actorum illius causæ, ad eam litem resumendam vocati, etiam sub pœna desertæ appellationis, comparuerint; principio quidem reluctando & declinando, ex eo, quod præfatus D. Michael superesset, & quod executionem testamenti D. Thomæ Gozæi suscepisset; cum protestatione de non suscipiendo onere executionis ejusdem testamenti, nec resumendis litibus aliquibus, eo nomine motis; sed tandem recedendo ab huiusmodi reluctance & declinatione, non expectato Iudicii super altercatione inde nata decreto, simpliciter & absolute ad causam comparuerunt, constituto Procuratore ad illam, unâ cum præfato D. Michael prosequendam, & præterea onus & periculum ejusdem causæ in se suscipiendum. Et quamvis dicti Rei in ista procuratoris constitutione expressim protestati sint, quod neque onus executionis in se suscipere, neque lites aliquas eo nomine resumere velint; inde tamen excusari in hac causa non possunt: quia, ut paulò antè dictum est, in protestate ipsorum non fuit, pro parte tantum suscipere onus executionis; & protestatio facta contra id, quod à jure dependet, & jus non patitur, nullius solet esse momenti, *Glos. Bart. & alij in l. Alimenta c. De negot. gest.* Accidit, quod inefficax reddita sit protestatio per dictam procuratoris constitutionem ad dictam litem resumendam & prosequendam. Resolvitur enim omnis protestatio per contrarium actum, qui huiusmodi protestationem vel concomitatur vel sequitur, l. Cum precario De prec. l. Vbi ita donatur De donat. mort. caus. c. Cum M. Ferraren. De constit. c. Sollicitudinem De appellat. Bartol. in l. Non solum §. morte De op. novi nuntiat. qui contrarius dictorum Rodolphi & Thomæ actus, per se palam elucet ex dicta procuratoris constitutione.

Sed nec hoc, ad subterfugiendum executio-

nem & effectum dictarum sententiarum, Reis huius causæ prodesse potest, quod in accumulatione ulterius proferunt de exceptione rei judicæ, ex asserta absolutoria sententia D. Reçtoris; per quam contendunt Rodolphum & Thomam de Monte absolutos esse à prædicta executione testamenti D. Thomæ Gozæi. Nam instrumenta, quæ ad eam rem proferuntur, nec sunt sententia, nec sententiæ ullius speciem habent. Prius enim, quod est extractum ex rationibus de prædicta executione redditus per Rodolphum & Thomam, nihil aliud continet, quam quod illæ rationes sint eoram D. Reçtore passæ & subscriptæ; addito decreto, quod eatenus dicti Rodolphus & Thomas absolventur. Quod decretum insequendo, D. Reçtor ex intervallo undecim dierum per suam sententiam dictas rationes laudavit, approbavit, & ratificavit; non adjectâ aliquâ absolutione: ita ut absolutoria sententia in neutro instrumento constitui possit: non in posteriore, in quo absolutionis nulla est mentio; neque etiam in priore; * nam decretum de absolvendo non est sententia absolutoria; ut nec decretum de condemnando pro condemnatione accipi potest ex Bartoli sententia, l. 1. c. Si advers. libert. Quod etiam Angelus Perusinus reprehendat, *consil. 250. Domina Liberta nu. 3. in fine*, in Iudice, qui condemnare, vel absolvere potest, & admittat in eo, qui id non potest; faretur tamen verum esse in huiusmodi declaratione per Iudicem etiam competentem factâ, non observat juris solemnitate in scriptis, nec ex scripto pro tribunali factâ pronuntiatione: non enim valet sententia condemnatoria vel absolutoria aliter pronuntiata, l. 1. c. De sentent. ex brev. recitand. c. ult. De sentent. & re iud. lib. 6. Proinde cum decretum, quod continetur in conclusione dictarum rationum, de absolvendo executores, sit ex parte decretum Commissariorum deputatorum ad audiendas huiusmodi rationes; quibus ut nec condemnandi, nec absolvendi, neque etiam iudicandi est potestas; ita quoque huiusmodi eorundem decretum pro sententia accipi non potest. Ex qua parte à D. Reçtore illud adjectum, cum non possit dici habere vim sententiæ propter defectum requisitæ solemnitatis, recitationis scilicet à Iudice pro tribunali sedente ex scripto: consequens est, ex illo non competere exceptionem rei judicæ; quæ non datur nisi ex sententia validâ, cum sententia in valida, & nullitatis vitio laborât, pro nulla sit, l. 4. §. condemnati De re iud.

De quo in proposito dubitandum non est; ob id, quod nec ipse D. Reçtor huiusmodi, in probatione rationum, adjectum decretum habuerit pro sententia absolutoria; ideo quod ex dicto intervallo undecim dierum sententiam solemniter pro tribunali ex scripta recitatione pronuntiaverit, quod in dicto instrumento continetur; sed omisâ absolutione. Quam absolutionem si secundum tenorem præcedentis decreti adiecisset; nihilo tutiore loco fuissent præfati Rodolphus & Thomas: eo quod dictum præcedens decretum de absolvendo non sit simplex, & universale; sed limitatum & restrictum per hæc verba; *vooz alfoor vele des voozschyngenis*, hoc est, in quantum superscriptum est. Quibus verbis aperte significatum est, dictos Executores absolutos duntaxat ab ijs, de quibus rationes reddi-

reddiderant: ut scilicet de iis amplius rationes reddere non tenerentur, nec de iis molestari possent: non etiam quod à restante suæ executionis administratione, vel continuatione absoluti fuerint. Limitata igitur absolutionis causa limitatum ejus producit effectum. Eamque fuisse & Domini Rectoris, & dictorum Commissariorum mentem, & intensionem in dicto decreto, manifestissime arguunt sequentia in dicto decreto adjecta verba; quod aliàs, hoc est, ultra superscripta seu contenta in rationibus, iidem Executores continuari debeant usque ad finem executionis. Prout in sequente sententia formaliter pronuntiata, præfatus Rodolphus, jam tunc mortuo dicto Thoma, in hujusmodi executionis negotio in iis, quæ agenda restabant, continuatus fuit; & idem Rodolphus continuationem in hujusmodi reliquis, seu restantibus fecit, & de iis adhuc rationes & reliqua dare in hac lite obtulit. Ita ut hujus causæ Reis hujusmodi decretum, & secuta sententia non possint prodesse ad excludendum dictos Antonium Amoty, & consortes à persecutione rei judicata ex sententiis Domini Rectoris & quinque Iudicum.

Frustrâ quoque obiciunt Rei, quod nec hujus causæ Actor, nec dicti Antonius & ejus consortes, ad instantiam præfatorum Rodolphi & Martini, edicto publico seu programme citati ad videntum prædictas rationes reddi, ipsosque Executores à totali onere executionis absolvi, non comparuerint; & ob id omni jure, si quid illis competat, cecidisse censentur, arg. l. Si eo tempore C. De remiss. pig. Nam ex narrativa parte dicti posterioris instrumenti præfactæ sententiæ D. Rectoris non constat præcessisse aliquod programma, aut edictum, cum comminatione seclusionis non comparuerint; sed tantum absolutionis ipsorum Executorum, quam jam demonstravimus secutam non esse; prout verè sequi non potuit, propterea quod in executione multa agenda restabant. Et tantum abesset per eam sententiam, aut præcedens dictum decretum quisque à jure suo seclusus, vel exclusus fuerit; ut etiam magis conservatum sit per adjecta verba, *Inte causâque semper salvo, & sine ullius præjudicio*. Cum alioqui virtute hujusmodi programmatibus dicti Antonius, & ejus consortes tunc excludi non potuerint: quia comparere non debuerunt; ob id, quod eorum jus ex sententia D. Rectoris acquisitum per appellationem ad dictos Iudices suspensum, & in effectu usque ad confirmationem eorundem Dominorum Iudicum extinctum fuerit l. 1. §. ult. ad S. C. Turpillum, atque ita comparendi, aut sese opponendi iustam occasionem non habuerint.

11 Illud quoque, in quo Rei pressius insistere videntur, ad avertendum dictæ rei judicatæ effectum eis prodesse non debet, quod proponunt. Executores finito seu deposito executionis officio in ea qualitate conveniri non posse: imò etiam adversus eos conventos & condemnatos, executionem fieri non posse, seu adversus bona Adriani Amerotii. Exemplo tutoris & curatoris; qui ex capite pupilli vel minoris condemnati, judicatum facere non tenentur, nec executionem judicati pati coguntur, l. 2. De admin. & peric. tutor. l. Si se non obtulit §. tutor. De re judic. l. Cum quadam C. De admin. tutor. l. 1. Conf. Wamcl. Tom. II.

C. Quando ex facto tutor. Nam quod ad prius attinet de finito seu deposito executionis officio, rei propositæ non convenit; ob id, quod paulò antè demonstratum sit, neque Rodolphum, neque Thomam umquam fuisse defunctos dicto executionis officio, neque id eos deposuisse, neque per sententiam aliquam ab eo absolutos seu liberatos fuisse.

Quare non rectè huc applicatur Gregorii Noni Papæ rescriptum, c. Ex parte 2. De appellat. de iusta pronuntiata appellatione matris, ejusdemque librorum quondam tutricis; quod liberata à tutela cōacta fuerit per decretum Iudicis in judicio respondere Actori, fundos quosdam ad dictos liberos pertinentes, & ab ea non possessos vindicanti; ob id, quod illo casu mater librorum suorum tutelam ipso jure, & ipso facto, ut inquit Panormitanus, in d. c. Ex parte n. 1. amisisset per secunda vota, & sic tutrix esse desisset, Auth. Matri & avia C. Quando mulier tutel. offic. fungi possit; ideoque cum illa ex capite tutela nulla lis rectè inchoari potuerit. Præterea causam exceptionis per matrem in eo casu propositæ augebat, quod in eo ageretur judicio rei vindicationis; quæ competere non potest contra non possidentem, l. Qui petitorio De rei vindic. ideoque ad evadendum judicium, conventæ matri satis erat dicere, quod non possideret, l. fin. de rei vindic. prout in illo casu mater proposuit, terras, de quibus controversia erat, in ejus potestate seu possessione non esse. Deinde in eodem illo casu agebatur de lite inchoanda, cujus avertendi facilius est potestas, ob depositam seu omisam qualitatem, quæ conveniendi facultatem dedit. * Vnde est, quod Panormit. in d. c. Ex parte n. 1. in 3. notab. dicti rescripti verba & sententiam sic restringat, ut quamvis verum sit, tutorem, qui tutor esse desit, non posse amplius conveniri nomine pupilli: id tamen accipiendum sit principiando negotium de novo, secus (inquit) in causis inchoatis; nam licet expiret tutela, nihilominus tutor causam principiatam persequi tenetur, nisi administratio sit translata in curatorem, l. unica C. Ut caus. post. pubert. tutor. adfir.

Cum igitur, ut dictum est, dicti Rodolphus & Thomas non fuerint liberati, aut absoluti ab hoc executionis onere, sed ex adverso per sententiam Domini Rectoris in eo continuati; & præterea non constet, quod vel vivo vel mortuo Thoma de Monte, administratio ejusdem executionis per eos semel ultrò assumptæ, in aliquem alium sit translata: non mirum fuit, si ad illam litem adversus Dominum Thomam Gozæum inchoatam resumendam cogi quoque potuerint; atque etiam in mala causa condemnari, & ex condemnatione adversus eos executio judicati fieri. Præsertim ex eo, quod (ut suprâ deductum est) præfati Rodolphus & Thomas, sine aliquo decreto Iudicis, ultrò dictam litem resumpserint, & ad eam, cum præfato Domino Michaelē prosequendam, procuratorem constituerint: ita ut, si non debebant litem resumere, ad illam saltem se obtulisse dici debeant; & propter hujusmodi oblationem se periculo executionis subjecisse, d. l. Si se non obtulit. Qui etiamsi decreto D. Rectoris ad id compulsi fuissent, debuissent ab eo appellasse; ut in casu dicti rescripti, d. c. Ex parte, mater ab hujusmodi

B b

Iudicis

Judicis compulsione appellavit, & propter appellationem in irritum reducta, quæ post hujusmodi appellationem per progressum iudicii contra eandem matrem attentata fuerunt. Quo exemplo præfati Rodolphus & Thomas, debebant ut minimum ab hujusmodi processu contra eos intentato appellare; & appellando iudicii illius progressum contra se impedire. Quod cum non fecerint, non possunt prætereundere aliquam nullitatem sequentium actorum: quæ enim beneficio appellationis irritantur seu annullantur, valida, rata, & firma manent, appellatione prætermisâ, c. Cum inter de sentent. & re iudic. & ibi Gloss. in V. iudicata.

Nec quicquam in contrarium facit, quod hæc non fuerit contra Rodolphum ac Thomam de Monte inchoata: non enim hoc requiritur, ut post finitam tutelam tutor causæ adesse debeat; sed sufficit, quod defensionis causæ se semel immiscuerit; sive illa adversus eum, sive adversus pupilli patrem inchoata, & cum tutore continuata fuerit. Sine distinctione enim referripit Imperator Philippus, d. l. 1. c. Vt causæ post puber. adit tutor, quod tutores post depositam tutelam, defensionis causarum assistere debeant; quamdiu scilicet administratio ad alios translata non est. Eoque pertinet, quod Paulus respondit, in d. l. Tutor de appellatione, quod tutor causam appellationis prosequi debeat, quamdiu rationem non reddiderit: prout dicti Executores eas absolute, & per omnia non reddiderunt, nec administrationem ad alios transtulerunt; sed pro parte tantum redditis rationibus; passi sunt se in reliquis continuari. De quibus reliquis nunc quidem sunt redditæ rationes; sed eas ut antè diximus, Rei in hac lite reddere obtulerunt; serius quidem, & sine effectu, quoad evadendum effectum rei iudicatæ, de qua agitur, ex lite, cui se semel immiscuerunt, quæque propter immisionem ad hæredes etiam tutoris translata censetur, & explicari debent, l. 1. l. ult. in fin. De fideiussor. tutor.

Quamobrem nihil facit allegatio mortis D. Thomæ Gozæi, ex qua Rei hujus causæ existimant ad hæredes, seu hereditatem illius nihil pertinere rem iudicatam, ex sententia Domini Rectoris contra illum lata; quod per ejus mortem finitum fuerit officium executionis; & ob id, ut sententia executioni mandari possit in bona Domini Adriani; non possit tamen perinde mandari in bona Domini Thomæ; & si possit, saltem non possit in bona Thomæ de Monte, qui executor deputatus non fuit. Quamvis enim executoris officium morte finiatur, & ad ejus hæredes non transeat, c. fin. in fine de testam. lib. 6. ut nec tutela, nec curatela, l. Tutela de tutela; & ut verum foret & admitteretur, hæres tamen executoris præcisè cogi non posset ad continuationem administrationis per defunctum inchoata, præsertim cum plures Executores dati sunt, inter quos est velut jus accrescendi, ut uno vel aliquot ex pluribus defunctis, superstes solus possit executionem facere; nec cogi possit, ut hæredem defuncti co-executoris secum admittat, d. c. fin. §. fin. Jacob. de Canibus in d. §. repetitis n. 17. nihil tamen prohibet, quin si nemo contradicat, si co-executor

superstes admittat aut petat, hæres defuncti manum executioni admovere possit. Quæ ratione & societas, l. Adeo Pro socio, & mandatum, tamen morte unius sociorum, aut mandatarii finiantur, nec ad hæredes transeant, l. Inter causas, l. si quis alicui §. morte de Mandati; per hæredes tamen socii, seu procuratoris continuantur; si vel per socios, vel per dominum, ad societatis vel negotiorum continuationem acciti sint; vel si illis manum admoventibus, hi non contradicant, multo magis si provocant. Quare cum præfatus M. Thomas ultro executionem testamenti D. Thomæ Gozæi, cum præfato Rodolpho acceptaverint & assumpserint, eosque Dominus Michael co-executor superstes, ad hoc sine contradictione admisit; non est in proposito habenda consideratio mortis Domini Thomæ: ex qua si quid commodi percipere volebant, debebant simpliciter abstinere, & juris beneficio uti; hoc est inviti non subire onus hujus executionis, quod Rei hujus causæ sibi persuadent se potuisse effugere, & ad onus solius Domini Michaelis relinquere.

Quod ergo decilum est, in d. c. fin. §. fin. uno Executore testamenti ex pluribus mortuo, superstitem seu superstes posse onus executionis injunctæ liberè adimplere, non tam mortuum aut mortui hæredem, quam superstitem executorem respicit; ut, si velit, possit solus adimplere, non etiam ut cogatur. Vnde non præcipitur, ut superstes solus adimpleat, sed ut possit adimplere: quo verbo, poterit, non juris necessitas, sed liberæ voluntatis potestas significatur, l. Sape de off. præd. l. Non quicquid, de iudic. Quæ potestas uni Executori permittitur, non est proprie per se causa liberationis in persona hæredis defuncti Executoris: nam idem quoque uni soli facere permittitur, cum alii omnes adhuc sunt superstes, sed vel in remotiore loco absentes, vel nolentes susceptam executionem adimplere, d. §. fin. Quibus casibus uno adimplere pergente, nemo rectè dixerit, reliquos onere executionis liberari. Vt nec liberatur unus ex pluribus tutoribus, si eo negligente vel indifferenter alius ex tutoribus administret, l. Si plures de admin. & peric. tutor. Quæ ultro nea dictorum Rodolphi & Thomæ susceptio ac continuatio hoc quoque facit, ut saltem si, ut Rei contendunt, ad hoc non tenebantur, dici debeant, se obtulisse administrationi, seu continuationi executionis: ut etiam per decretum & Rectoris & Commissariorum, auditis particularibus rationibus, continuati sunt. Vnde inferitur, quod adversus eos liberis executio iudicati primum contra dictum Dominum Thomam, per Dominum Rectorem; deinde contra ipsos, per Iudices appellationum fieri possit, l. 4. de re iudic. l. 2. de administ. & peric. tutor.

Præterea magna est differentia inter tutores seu curatores, sive testamentarios, sive legitimos, sive dativos; & Executores testamentorum. Nam illi necessarii sunt, & necessarium munus obeunt & sustinent, l. Munerum de mun. & honorib. l. Tutori C. de negot. gest. nisi sit iusta excusationis legibus approbata causa, tit. d. & C. de excus. tutor. At executio testamenti, ut nec publicum ita nec privatum munus jure necessarium est; sed plane ab initio

ab initio re integra voluntarium, c. *IOHANNES DE TESTAM.* Ad exemplum cuiuscumque alterius mandati, quod ab initio suscipere liberum est; sed susceptum necessarium adimpleri debet; l. *Si mandatum tibi §. ult. l. Si quis alicui §. qui mandatum suscepit d. Mandati.* Indeque etiam consequitur, quod ut finito officio procuratoris ad negotia; procurator, qui mandatum ad negotia suscepit; adhuc tenetur; l. *Procurator qui pro evictione De procurat. Glos. in l. 1. Quando ex facto tutor.* ita quoque teneri debeat Executor testamenti, qui nihil aliud est, quam mandatarius seu commissarius; l. *Alio; l. A filio de aliment. legat.* praesertim quoad negotia inchoata; unde ius obligationis magis; quam minus aliquod constituitur; *Barr. in d. l. A filio nu. §.* hoc est in his, in quibus Executor se obligavit; ut est quoad lites; quas adversus alium seu alios contestatus est; ut generaliter mandatum morte mandatarii re integrum finitur; nec transit ad heredem eius; nisi quoad inchoata. De quo in proposita causa minus dubitandum est; in qua occasionem litis praestitit factum D. Thomae Gozai; hoc est aestimatio bonorum per testatorem Executoribus mandata, & ut dictus Antonius & ejus heredes contenderunt; ac per sententias Domini Rectoris, & dictorum Commissariorum declaratum est; minus recte facta.

Quae omnia minore difficultate habent; ob id, quod dicti Rodolphus & Thomas non tantum ultro susceperint onus executionis testamenti Domini Gozai; quamvis cum restrictione & protestatione; quas superius demonstravimus esse inutiles, & nullius momenti; verum etiam ad hanc litem, pressi quidem aliquo modo per dictos Antonium & ejus consortes; sed tamen non per Iudicem coacti; accesserunt. Idque non simpliciter; sed cum aperta susceptione oneris & periculi illius causae; ut expresse habent constitutiones procuratorum, quas & Thomas de Monte & Rodolphus in eo processu fecerunt; idque non ad solam petitionem dictorum Antonii, & ejus consortium, sed etiam ad petitionem procuratoris Domini Michaelis, per quam petiit adversus dictos Rodolphum & Thomam decerni citationem ad prosequendum dictam litem, & onus ac periculum ejusdem in se suscipiendum, unà cum dicto Domino Michaeli: ad quam petitionem sine ulla contradictione constituerunt etiam procuratorem ad dictam prosecutionem faciendam; cum praefato Michaeli; suscepto in se onere & periculo illius. Ita ut si non aliunde; inde saltem recte constitui possit assumptio & continuatio executionis; nec non obligationis; quam exitus illius litis indicaturus erat; ideoque non minus adversus ipsos, quam adversus Dominum Michaeli executioni iudicati fieri potuerit; saltem pro virilibus eorum portionibus, quoad illa, quae dividua sunt; & in solidum quoad ea, quae individua, l. *1. C. Si plures una sentent. condemn. fuer.* Quae consideratio diligenter pra oculis habenda: nam discutit omnia, quae ex parte adversa proferuntur de morte Executoris; de finito officio; de executione iudicati adversus eos.

Novissime non debet Reis prodesse postea proposita exceptio, quod nec sententia Domini Rectoris. Wamef. Tom. II.

etoris nec dictorum quinque Iudicum transferit in rem iudicatam; ob id, quod per procuratorem appellatum sit, & pendente appellationis causa pro parte Domini Michaelis, cum dicto Antonio, & ejus litis consortibus compromissum, quodque per compromissum lapsus fatalium impediatur; *Clem. Quando de appellat.* Nam ab hoc compromisso postea per transactionem, cum dictis Antonio & consortibus super tota hac lite initam; recessum est, & sic vis suspensiva ex dicto compromisso penitus extincta; & per transactionem, seu verius compositionem ab interposita appellatione recessum; ut nihil varet transigi etiam post rem iudicatam appellatione pendente, l. *Et post rem iudicatam De transitu.* Quam transactionem ut Dominus Michael solus fecit; & solus facere potuit; ita etiam ei soli, non etiam dictis Rodolpho, & M. Ioanni Eersel prodesse debet: ut superius in principio hujus consultationis deduximus. * Cujus transactionis, seu verius compositionis, super modo executionis & iudicati faciendae, facultatem communio causa non impedivit; nec Domino Michaeli ulla necessitas fuit persequendi interpositam appellationem a Iudicum sententia; quando Rei hujus causae illam contempserunt, nec cum Domino Michaeli persequi voluerunt; & quia pendente Dominus Michael animadvertens periculum, non fuit prohibitum bonam fidem agnoscere, & quam minimo ab appellatione recedere, & extremum executionis figorem declinare; *Joannes Andr. in c. Cum in multis sub fin. De rescript. lib. 6. Calderinus consil. §. de praebe.* Quis enim dicat, omissionem prosecutionis licuisse Reis hujus causae, eorum etiam nomine interpositam appellationem deferere; & non idem licuisse Michaeli pactione super litis aestimatione; seu super executione iudicati? l. *1. Quod quisque iuris & c.* Satis itaque est in proposito, quod nulla obligatio vel iuris necessitas constrinxerit Dominum Michaeli ad finalem prosecutionem ejus causae, & ad expectandum tertiam sententiam conformem; potissimum; quia nec ista pactione seu transactione facta, Rei hujus causae beneficium prosequendae appellationis, ex appellatione Domini Michaelis ipsis acquisitum, arripuerint; nec appellationem ante lapsa fataalia prosequuti sint, & ne nunc quidem prosequantur. Quamobrem manifestum est, actionem iudicati ex sententia Domini Rectoris, per sententiam Dominorum Iudicum approbata, & lapsu fatalium irreparabiliter confirmata, dictis Antonio & consortibus ante cessionem & transportationem per ipsos in Dominum Michaeli factam, efficaciter adversus dictos hujus causae Reos competit.

Vnde consequitur (quod est alterum caput hujus consultationis, & in quo consistit proxima causa petitionis summariae pro parte Actoris in hac causa propositae) quod hujusmodi cessionem actionis, & iuris executivi iidem Antonius & consortes potuerint D. Michaeli facere & transportare. Non enim tantum crudae (ut aiunt) actiones; per quas lis via ordinaria peragatur, in alios cedi possunt, l. *Per diversas, l. Ab Anastasio C. Mandati;* sed etiam ius executivum, ut est sententia,

tentia, & actio seu executio iudicati, l. In iudicio Famil. ercise. Bald. in l. Ex legata in fine C. de legat. l. 1. C. De contrar. iudic. tutel. Tirag. de retract. § 26. Gloss. 3. nu. 22. Ad illum nimirum effectum, ut quemadmodum cedentes, omisa cessione, via executiva adversus condemnatos Rodolphum & M. Ioannem procedere potuissent ad executionem illorum, quæ dicta Domini Rectoris sententia continet; ad eundem quoque modum nunc recte potuerit & possit D. Michael, qui huiusmodi ius cessionis & transportatum habet; hoc est, omne ius, quod dictis Antonio & consortibus competiit & competebar tempore transactionis; non tantum ex testamento præfati Domini Adriani, sed etiam quodcumque ex causa & occasione illius aliquo modo competebar, adversus alios Executores, & eorum hæredes, seu eos representantes: sub qua generalitate cessionis procul dubio quoque comprehenditur & dicta Domini Rectoris, & quinquæ Iudicum sententia; & ius executivum ex re iudicata super actione, quæ iisdem cedentibus competiit ex præfato testamento; saltem pro ea parte, quæ dictos Reos concernit: prout etiam Actor ad eandem partem ipsos cœnecentem dumtaxat conclusit. Quia in re Actor tanto certius fundatus est quod iure consortii, vel saltem actione negotiorum gestorum à Reis, cessante etiam hac cessione, merito consequi debeat, quod illi per soluta seu data ex hac causa transactionis abest pro parte ipsos contingente: quasi suo & illorum negotio utiliter gesto, & in communem causam expenso eo, quod transactionis causa D. Michael solvit. Ob quam communem causam pro parte socios seu correos contingente, iusta est repetendi causa, l. 1. & ibi Gloss. & DD. C. De duob. reis, l. 2. § ex his & ibi DD. De verb. oblig. l. 3. § penult. l. Ex facto De negot. gest. l. 2. in fine C. De contrar. iudic. tutel. l. 1. § nunc tractemus De tutel. & ration. disraben.

19 Quæ dicta sententiæ & executivi iuris cessio ob id inutilis dici non potest, quod per præfata transactionem & solutionem Domini Michaelis penitus extincta videatur omnis actio, & obligatio iudicati; ut solutione omnis actio & obligatio tollitur & ob id ab eo, cui solutio facta est, frustra petatur & obtineatur cessio actionis, quæ sic facta solutione extincta est l. Nulla C. De solu. l. 1. C. De contrar. iud. tutel. potissimum quia solutione unius ex correis, ceteri omnes liberentur, l. 3. § fin. De duobus reis. Nam etsi verum sit, quod solutione simpliciter & absolute facta, atque item pacto, vel transactione unius ex pluribus reis, in totum etiam quoad correos, seu ex eadem causa obligatos, penitus perimatur obligatio & actio; ita ut nulla apud creditorem ex eo tempore relideat actio, quam postea ex intervallo utiliter adversus alium cedere seu transferre possit: utilis tamen est actionis cessio, quæ fit solventi tempore, & in momento pactionis, transactionis, seu solutionis; quia iuris intellectu censetur huiusmodi cessio fieri ante solutionem; quasi ob futuram solutionem, seu saltem ob factam ex causa veluti emptionis: quasi scilicet debitor emere, & creditor sic paciscendo seu accipiendo pecuniam, vendere censetur cessas actiones, quas utiliter & efficaciter

exercere poterit cessionarius contra eum, contra quem cessæ sunt, eodem iure, quo cedens ante cessionem idem facere potest, l. 1. C. De contrario iudic. tutel. Vt de uno ex duobus tutoribus vel potius aliquo extraneo, pro omnibus tutoribus totum solvente, eleganter respondit Modestinus, l. Modestinus De solut. Quo casu ipsa pactio, imò & numeratio pecuniæ, non pro solutione, sed pro pretio emptarum actionum est; & non tam perimit aut extinguit, quam conservat & transfert actionem seu ius quod ceditur.

Cum igitur inter D. Michaellem & Antonium & ejus consortes hoc expresse actum fuerit, continet eodem contractu, & temporis momento, ut Antonius & consortes omne suum ius cedent D. Michaeli, prout postea etiam cesserunt; & ex adverso Michael à prosecutione appellationis recederet, & quæ in instrumento compositionis continentur, ex adverso præstaret; dubium esse non potest, quin per hanc transactionem, seu veriùs compositionem, emptionem, & redemptionem, iis quoad effectum rei iudicatæ penitus extincta non fuerit, sed utiliter & efficaciter in Dominum Michaellem translata: cuius beneficio adversus hujus causæ Reos merito ob id decernenda sunt petite literæ executoriales; & quidem ad extremum juris rigorem, ex quo Rei temere & inconsulte contempserunt per Actorem ipsis oblatam communicationem commodi & utilitatis eicte transactionis & compositionis; hoc est omnimodæ liberationis, salva refusione eorum, quæ Actor ob eam causam dicto Antonio, & ejus consortibus præstitit, & in expensas litis expendit; non in solidum, sed pro eorum parte dumtaxat.

De Testamentis.

SUMMARY M.

Executor testamenti an habeat remedium possessionum.

1. 4. Executor testamenti an sit possessor bonorum testatorum.
2. Executor testamenti an habeat remedium possessionum.
3. Depositarij, commodatarij, & similes deventores habent remedia possessionum.
5. Feudalis rei possessio sine relevio acquiri potest.
6. Possessor naturalis tantum habet remedium redintegrande possessionis.
7. Exceptio domini non admittitur adversus spolium.

CONSILIVM CCCCXV.

VISITIS actis causæ redintegrationis instituta in Amplissimo Concilio Brabantie, inter Dominum & Magistrum Engelbertum Wamesium, ei que adjunctum Domicellum Adamum Bruyn, tamquam maritum Domicellæ Margaretæ Roben suæ vxoris, Imperantes; ac Domicellam Gertrudem van Leroede, Opponentem; præsupposita probatione eorum, super quibus testes & testimonia recepta sunt, eximiamus Impetrantes redintegrationem petitam obtinere debere. Nam cum præfatus Dominus Engelbertus in testamento seu ultima voluntate Domini Theodorici Leroede deputatus Executor, assumpto onere executionis, ingressus sit domum, seu Castrum & villam de Merlenhoven, in dicto testamento præfata Domicellæ Margaretæ, uxori dicti Domicelli Adami relicta.